



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Comparatio opinionis Aristotelis cum sententia Platonis in nuper dictis.
Cap. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

non mouerentur: quia nec anima ad illum locum traheret, nec partes in illum essent procliuēs; cūm ea sit dispositio præter naturam; ex fatua nostra imaginatione pendens: ad quam si sequuntur absurda, nil refert, cūm sequantur ex nostra inani imaginatione. Ex his patet, quomodo à calumnia vindicari debeat Plato, dum carpitur: quia dicat, elementorum partes ad suum totum moueri, ab eoq; trahi.

*Comparatio opinionis Aristotelis cum sententia
Platonis in nuper dictis.*

CAP. XII.

IN plurimis profectò Aristot. à Platone dissentire videtur. Primò, Arist. triplex illud grauitatis genus non ponit, sed solum duplex; primum uidelicet, & tertium. Secundò, Arist. cœlum nec graue, nec leue esse affirmat: ex sententia Platonis dictum est, cœlum aliqua ratione leue, alia verò graue dici posse. Tertio, Arist. ignem dicit solum leuem; Plato verò ætherem sub cœlo positum, igni respōdentem; & leuem in comparatione, & grauem in propensione ad suum locum affirmat. Quarto, Arist. in postremo lib. de Cœlo, à cont. octauo ad 10. reiiicit eam leuitatis, & grauitatis causam, à Platone in Timæo traditam; dum dixit, Leuissimum esse, quod paucissimas bases includit, & ex paucissimis partibus eisdem cōstat. Demum, dissentire videtur in assignanda causa
redi.

reditus partium elementorum in suum locū:
nulla enim ratione, & modo censet, id ab ani-
ma posse prouenire; sed solū ab eorum natu-
ra. De quibus dissensionibus loquens assero,
nonnullas esse positas in sola voce, alias verò
in rei natura. Nam de prima, dum dicitur, Pla-
tonem nuncupasse grauedinem reditum, &
propensionem corporis in suum locum; dico,
hanc esse litem in voce, non in sententia. Con-
ueniant, quòd detur illa propensio in suum lo-
cum, & ad suum motum: sed Plato censuit,
posse dici grauitatem; quod non censuit Ari-
stoteles. Ratio tamen huius diuersitatis pen-
det ex eo; quia Aristot. in vniuerso posuit sur-
sum, & deorsum, natura distincta; non autem
Plato, vt in sequentibus apparebit. De secun-
da differentia; quia Arist. cœlum dicit, nec gra-
ue, nec leue: assero, eatenus re vera dissentire;
quatenus Plato cœlum dicit ignem, vel igneū;
quod negat Aristot. De tertia, censeo eos etiā
re vera esse discordes. Nam Plato rationem se-
quutus, id omne censuit graue; quod materiā,
& corpoream aliquam compositionem inclu-
deret; denotatam ab eo per bases, & partes;
quamuis enim materia nō fit grauis; attamen
ad eam vnā cum forma, sequitur grauitas, vel
maior, vel minor; ratione maioris, vel minoris
densitatis corporis, & compactionis. Arist. ve-
rò sensui credens, quod sursum absolutè ten-
dit, nuncupauit absolutè leue; quod Plato
nuncupat leuissimum omnium in compara-

tione, hoc est, minùs graue aliis. De quarta
 diffensione, videlicet de caussa grauitatis tra-
 dita à Platone, reiecta ab Aristotele: dico pri-
 mò, Platonem per bases, & partes, denotasse
 densitatem, multitudinem materiæ, & com-
 pactiorem; non mathematicas bases. Dico se-
 cundò, dissentire re vera ab Aristotele; quoniã
 ex fundamentis Platonis sequitur, in omni
 corpore aliquid grauitatis reperiri, vt patuit.
 Addo tertio, rationes Aristotelis contra Plato-
 nem, leues esse, & facilè posse solui. Nam obi-
 cit ei Arist. quoniam magnus ignis grauior es-
 set paruo. Insuper, magnus ignis grauior es-
 set exigua aliqua portione terræ; quoniam in
 magno igne plures essent partes consimiles,
 & bases, quàm in exigua illa portione terræ:
 nos autem oppositum conspiciamus; quoniam
 ignis, quò maior, eò videtur leuior; & magis
 videtur tendere sursum. Ad hæc dico, maiore
 ignem esse quidem grauiorem in extensione,
 at nō in intensione; vt maior aqua, est grauior
 exigua portione terræ. Insuper, magnum li-
 gnum est grauius paruo ligno; at non ob id
 magnum lignum non supernatat, vel non
 tendit sursum in aqua, immò maximè ten-
 dit sursum, & cum maiori difficultate ab in-
 ferente violentiam mergitur: pariter de igne,
 & aere se habet. De postrema diffensione, per-
 tinente ad reditum partium elementorum in
 suum locum: vt pertinet ad propriam natu-
 ram, & propensionem earum partium; vti-
 que

que non dissentiunt: vt verò pertinet ad animam illius sphaeræ conducentem ad illum motum, & attrahentem; re vera dissentiunt, nec conciliari possunt. Et quamuis in eoreditu partium in suum locum, consideretur aliquis tractus; non propterea motus ille est violentus: quoniam anima ita trahit, vt mobile est procliue, & natum trahi. Et inde euenit, quod non difficiliùs trahitur maius, quàm minus corpus; vt Platoni obiiciebat Auerroes.

De differentiis positionis Mundi.

CAP. XIII.

Differentiæ positionis, quoniam modo aliquo oppositionem, & contrarietatem includunt; propterea verè, & propriè in animali perfecto, prædito partibus diuersæ facultatis, diuersæque figuræ inueniuntur: in corpore autem orbiculato, non absolutè; & propriè; sed solum respectu nostri, vel ratione quarundam proprietatû, considerari possunt. Dum enim rotundum corpus consideramus; in eo ratione propria solum reperitur medium, & circumferentia. Propterea iure Plato in Timæo eos dânat; qui in vniuerso sursum, & deorsum, ex rei natura distincta inueniri affirmant: corpus enim consimile, & rotundum; non sursum, & deorsum includit, quod ad lógitudinem pertinet; sed solum medium, & quod est circa medium. Insuper, conuenienti etiam ratione hoc